

elevationis quæsitæ in eo quadrante, cui adnitetur, si modo liberè dependeat, indicabit. Nam si semicirculus pensilis unâ cū perpendiculari suo latitudinis circulo incubuerit, atq; idcirco libera, & idonea suspensione priuatus fuerit, fines regulæ longitudinis alternandi sunt, quod quidem contingit, quando facies quidem semicirculi ad Orientem respicit, Sol autem quadrantem eclipticæ occiduum possidet, aut uiceuersa hæc quidem in Occidente, is autem in Oriente constituitur. Huiuscemodi quoq; regulæ alternationem in posteris præceptis, ubi ubi opus fuerit exercere memento. Pro cæteris uero stellis dispone regulam lōgitudinis quidem, sicuti iam nunc ad Solem iussimus. Caput autem regulæ latitudinis pone supra latitudinem stellæ propositæ, si quam habet, nam si ea caruerit ipsam regulam latitudinis lineæ mediatrici adapta. Deinde uolue regionem signorum unâ cum crista aduersus stellam, ita ut corpus eius per ambo foramina auricularum cernatur. Tunc enim perpendicularū semicirculi pensilis altitudinem stellæ optatam, quemadmodū de Sole narrauimus, indicabit. Hinc manifeste colligitur, quòd quotiens locus uerus stellæ cuiuscunq; per præcedentia problemata accipitur, simul etiã elevationē eius supra horizontē sponte sua agnoscendam sese præbere, & id quidem propter coherentiam semicirculi pensilis, cum regula latitudinis.

## PROBLEMA SEPTIMUM.

Arcum diurnum Solis inquirere.

**P**one regulam longitudinis ad locum Solis in signifero ecliptico, & moue regionem signorum facie circuli latitudinis ad Orientem uersa, donec perpendicularum semicirculi pensilis adhærebit lineæ mediatrici, quæ uidelicet duos quadrantes determinat. Tum demum considera notam ambitus Aequinoctialis, cui adiacet locus Solis in signifero Aequinoctiali acceptus, quam quidem uocabis notam Orientalem. Meridiana autem nota, dicetur punctus ille, qui in ambitu Aequinoctiali

c ij supra